



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXII. Vtrùm concursus Dei simultaneus es se prædeterminet voluntatem
ad concursum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

quod longe diuersum est, & consecutio illa habet maximum fundamentum tum in natura liberi arbitrii, & repugnantia inter indifferentiam, & praedeterminationem, & inter liberum vsu, & necessitatem antecedentem. Et ita haec nostra consequentia habet magnum fundamentum in Patribus, & in Conciliis, vt praeter dicta pluribus in sequentibus ostendetur, illatio vero Pelagianorum ab omnibus Patribus impugnatur.

18. Dices, etiam Pelagius ex arbitrii libertate colligere volebat non dari auxilium efficac quod etiam nos colligimus. Respondemus in primis priorem partem non satis constare: nam Concilia Mileuitanum, Arausicanum, & Tridentinum sufficientem tradunt doctrinam contra Pelagium, & non definiunt aliquid de gratia efficaci, sed de necessitate gratiae praueientis, praemouentis, excitantis, & adiuvantis. Et Celestinus Papa in Epist. 1. a cap. 4. vsq; ad 12. doctrinam necessariam contra Pelagianos, & Semipelagianos tradit, & in eis solum ostenditur dicta gratiae necessitas, & in cap. 8. solum dicitur ita de diuina gratia esse sentiendum, vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanae singulis motibus magis illius non dubitemus valere auxilium. Et in cap. 12. concludit Deum esse auctorem bonorum omnium operum, quia illa sua gratia praueinit, & illorum initium in nobis operatur, agitque vt quod ipse vult nos velimus, & agamus. In quibus omnibus nihil de efficaci gratia sub propriis terminis tradit, quod sane fecisset, si Pelagius eam suo argumento impugnasset. Sed esto pars illa vera sit, & in hoc etiam errauit Pelagius. Falsa profecto est altera pars, quia nos ex illo principio non impugnamus absolute gratiam efficacem, sed gratiam ex se praedeterminantem physice, ac subinde refellimus talem modum gratiae efficacis de quo nec fuit controuersia cum Pelagio, nec Augustinus vnquam loquutus est, vt infra ostendemus.

CAPVT XXII.

Utrum concursus Dei simultaneus ex se praedeterminet voluntatem ad consensum.

2. Duo modi praedeterminandi physice voluntatem supra distinximus, vnus est praedeterminando prius natura in actu primo voluntatem per aliquam entitatem ab ipsa, & ab actu secundo illius distinctam, vt ipsa sic praedeterminata actum eliciat. Alter est immediate praedeterminando ipsam ad ipsum actum secundum sine entitate prauiam, sed immediate per diuinam voluntatem, ita efficiendo in voluntate, & cum illa actum ipsius, vt in ipsamet efficientia humana voluntas a diuina praedeterminetur. Priorem modum impugnauimus in praecedentibus capitulis, in hoc, & sequentibus posteriore expendemus, & prius de necessitate; postea de possibilitate huius praedeterminationis dicemus. Duobus autem modis intelligi potest praedeterminatio haec per influxum immediatum in ipsum actum secundum scilicet quod ipse concursus Dei ex se, & quasi absolute spectatus habeat hanc vim praedeterminandi voluntatem, vel saltem, vt illam habeat per respectum ad voluntatem diuinam a qua procedit. Et licet auctores ponentes praedeterminationem in ipso actu indistincte loquantur, nos vt vis rationum magis appareat, de priori modo dicemus in hoc capite, & de altero in sequenti.

Quod ergo haec praedeterminatio fiat per ipsam actionem consensum voluntatis, vt est a Deo, sentit in primis F. Cume in vltima huius puncti examinatione, quam in lib. 1. opusculor. reliquit copiosam in disp. 4. sectione 3. conclusione 4. vbi sic inquit. Ita affirmatur a nobis efficacia diuini auxilii esse ex Deo non ex nostra cooperatione, vt non dicamus Deum praedeterminare nos ad extra se solo aliqua actione prius in nobis posita, seu aliqua actione praedeterminante prius in nobis recepta, in qua mere passus se habeat omnino liberum arbitrium, & infra addit rationem, quia alias voluntas non se libere determinaret. Vnde (inquit) eadem determinatio conuersionis est a Deo, & ab homine, sed a Deo prius ordine naturae, quae est prior in causando, & mouendo liberum arbitrium hominis, &c. Et ibidem negat esse ibi duas actiones, sed vnā naturā Dei, & hominis, quae prius natura est a Deo. Et in conclusionem 5. expressius dicit, eandem esse actionem qua voluntas se determinat ad conuersionem, & determinat quae a libero arbitrio elicitur cum gratia Dei, Deus determinat idem arbitrium. Et quod mirabilis est, statim subdit, neque haec actio qua voluntas actualiter, & formaliter determinatur, & se determinat, est respectu eius voluntatis effectus posterior naturae quam sit effectus Dei, sed simul effectus voluntatis humanae, & ipsius Dei. Idem repetit disp. 5. dum refert quintam sententiam dicens, non esse putandum Deum ita se gerere, vt nobis nihil agendum producat suam actionem in nos, quae efficienter nos determinet, & iam prius voluntate determinata ipsa procedat ad opus, quia hoc manifestum dicit implicari cum libertate, & in discursu huius sectionis, quae proxima est, hoc saepe inculcat.

Quia verò de nobis conuenitur quod eius sententiam nostro modo, & non sicut ab eo traditur, & explicatur referimus? (quod sane a nostra saltem intentione alienum est) non audemus hanc sententiam illi tribuere. Nam profecto eisdem locis multa docet, quae aperte videntur contraria his quae mox recitauimus. Dicit enim saepe auxilium efficax dari voluntati tanquam principium agendi consensum supernaturalem, & ad constituendum vel completum illam in actu primo, vt de illi virtutem agendi in illo ordine. Ita habet in disp. 4. sect. 2. conclus. 3. & conclus. 5. §. Sed pro intelligentia & disp. 5. sect. 1. conclus. per totam, maxime vero in repetitione eiusdem tertiae conclusionis §. quocirca, & §. quod videro ex professo impugnat dicentes hoc auxilium in re non esse nisi ipsammet actionem, & operationem voluntatis, quia licet actio voluntatis sit vna, & indistincta a Deo, & ab ipsa, dicit tamen beatitudinem ad illud auxilium Dei, a quo procedit tanquam a suo principio, ergo necesse est, vt si dicat auxilium efficax prius infundi a Deo solo sine concursu actiuo voluntatis, cuius oppositum dicit in prioribus locis, verum est in illis non loqui sub nomine auxilij efficacis, sed sub nomine determinationis.

Vnde videtur sentire, quod licet auxilium efficax praefundatur a solo Deo, illud non est determinatio formalis voluntatis, sed solum motio fortis, & suavis, quae in eodem temporis instanti cum voluntate efficit liberum consensum, quem dicit esse determinationem formalem, & ideo negat in prioribus locis voluntatem determinari a solo Deo, sed simul a se ipsa, & ita videtur exponere seipsum infra sub tit. Alius argumentis §. confirmatur. Sed hoc modo non explicatur punctum difficultatis, sed obuoluit non distinguendo determinationem in actu secundo a determinatione in actu primo. Nos enim non tribuimus huic auctori, vel aliis omnibus quod dicant actum ipsum secundum fieri a solo Deo, & quod per illum determinet formaliter voluntatem, sed referimus quod vere asserunt Deum solum infundere voluntati auxilium per modum

modum actus primi, ita efficax, ut ex se habent non posse separari ab actu secundo, & consequenter negare non posse quin iste actus primus inhaerens voluntati formaliter illam afficiat, & determinet in actu primo ad talem actum secundum, & exercitium eius. Quod tandem ferè eisdem verbis fatetur idem auctor in locis proxime citatis §. *moueor etiam*, dicens. Ad hoc quod voluntas exerceat opera supernaturalia, necesse est, quod prius voluntas realiter determinetur, quam operetur. Et iterum, ut voluntas operetur necesse est, ut realiter determinetur ad illam operationem per aliquid reale positum quidquid illud sit, quod iterum repetit, soli Deo ut auctori gratiae tribuens determinationem. Nihil ergo mirum est huius auctori vnam & alteram opinionem tribuamus, cum in eo vtrumque legamus.

Eodem ferè modo tribuo sententiam hanc P. Cabrerae, quamuis tam multipliciter de hac praedeterminatione loquatur, ut vix possim de illius sententia definitum ferre iudicium. Saepè enim defendit praedeterminationem hanc fieri per aliquid distinctum ab actu secundo, & prius natura illo. vnde videtur ponere praedeterminationem in actu primo supra refutatam, & tamen disp. 2. §. 11. num. 474. dicit quod determinatio Dei relinquit voluntatem determinatam in actu secundo, & indifferentem in actu primo, & quod voluntas praemota est adhuc indifferens in actu primo, licet sit determinata in actu secundo. Quod videtur repugnantiam inuoluere, si non intelligat praedeterminationem fieri per ipsum actum secundum, licet sub eo maneat voluntas cum suo actu primo, quod ad tuendum liberatæ actus non sufficit, ut supra ostendi. Deinde §. 10. num. 413. dicit motionem praedeterminationem non distingui ab actione voluntatis nisi formaliter nec Deum concurrere immediate ad illam, nisi per prauam motionem. Item videtur hanc sententiam supponere in disp. 6. dubio 8. quando dicit num. 50. quod Deus confert auxilium concomitans, non ut producat in actum, sed ut adiuvet ad elicendum actum in quem iam prodire coepimus. Nam his verbis insinuat prius non incipere prodire in actum propter auxilium efficax, quod prius natura Deus præbet, quam nos actum eliciamus; ergo sentit per illudmet auxilium incipere nos in actum prodire, quod intelligi non potest nisi auxilium sit saepe actus sub aliqua praua ratione consideratus, vnde in eadem disp. 6. dubio... num. 1. dicit auxilium Dei simultaneum vocari coadiuuans, quia ipsam operationem incipiam per auxilium praedeterminans coadiuuat, & consummat, concomitans vero quia concomitatur operationem ut incipiam per auxilium praeueniens. Nisi forte improprie loquatur, & intelligat auxilium praedeterminans inchoare operationem non formaliter sed virtualiter, quia complet, & determinat potentiam ad illam elicendam. Nam proprie vtendo terminis contradictionem inuoluit dicere nos incipere prodire in actum secundum priusquam Deus suo auxilio concomitante, & adiuuante nobiscum operationem inchoet. Nec etiam video quid sit prodire in actum nisi elicere illum; vnde incipere prodire in actum erit incipere elicere illum; at vero elicere, & incipere elicere idem sunt, quia actio elicendi momentanea est, & ita simul incipit, & tota fit. Est ergo mihi intellectu difficilis illius auctoris mens, & sententia, quæ omnia non parum ipsiusmet doctrinæ obscuritatem, & perplexitatem indicant.

Constantius videtur illam sententiam defendere Ledesma, nam toto art. 8. ex professo probat praedeterminationem non fieri à Deo in nobis sine cooperatione, & efficientia voluntatis nostræ liberè concurrentis ut explicat in prima probatione tertie conclusionis. Et in secunda addit non esse necessarium ut hæc praedeterminatio fiat per ali-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

quem actum distinctum ab eo quo prosequitur obiectum, sed per eundem secundum rem ratione formalis distinctum ut in art. 7. late dixerat: & quod magis est dicit, in illa doctrina conuenire discipulos D. Tho. & ipsum D. Thomam, & Caietanum pro illa citat, in dicto art. 7. & ideo in art. 10. ad 7. dicit. quando est auxilium physicè prædeterminans iam esse actum in suo principio. Alludens ad modum loquendi M. Cabrerae pro ut verba in proprietate sonant. Et ideo ait Ledesma hoc auxilium non requiri, ut principium operationis, neque ex parte potentiae, sed ex parte operationis, ut art. etiam 11. late prosequitur. Et nihilominus dicit in dicta solutione. ad 7. auxilium prædeterminans voluntatem esse necessarium tanquam antecedens ordine naturæ ipsam operationem, & ut voluntas exeat in actum. Quæ duo difficile conciliantur, nisi in ipsa operatione distinguatur inchoatio, & consummatio, seu initium operationis, & ipsa operatio absolute sumpta, quod videtur efficaciter impugnari ratione supra facta, & aliis quæ in lib. 3. fecimus tractando de concursu præuio.

Singularis quædam sententia refertur.

Denique omittere non possum quin hic referam notandam sententiam alterius defensoris huius praedeterminationis. Qui prius tria distinguit in Dei operatione circa actus voluntatis nostræ. Primum vocat simplicem immutationem, qua voluntas constituitur in ultimo complemento per modum actus primi. Secundum est productio actionis voluntatis cum ipsa voluntate. Tertium est productio effectus. Primum ante omnia requirit ad auxilium efficax, & dicit fieri à solo Deo prius natura quam voluntas operetur, nam in aliis duobus, ut ait non prius natura operatur Deus quam voluntas non obstante subordinatione, quia hæc subsistere potest sine prioritate naturæ. In quo aperte tradit modum praedeterminationis in superioribus capitibus tractatum satisque consequenter iuxta illum loquitur. Statim verò addit obscurissimam distinctionem in qua videtur hanc posteriorem sententiam profiteri, & difficilime explicare. Post primum enim auxilium efficax, seu post illam quam vocat simplicem immutationem distinguit in consensu voluntatis duplicem actionem, vnam quæ identificatur cum consensu in ratione consensus, aliam, quæ natura præuenit consensum, quam vocat iniciatiam, in qua agitur voluntas, quam etiam dicit esse auxilium efficax præuivum. Et hanc posteriorem actionem dicit etiam non esse liberam in illo priori, quamuis antecedente nostra libera determinatione, actio quæ non erat in illo priori libera constituitur libera in ratione consensus nostri in alio posteriori naturæ.

Refellitur dicta sententia.

In qua sententia antequam vterius progrediamur duo notanda sunt, & cauenda. Primum est, quia ille auctor simul videtur ponere duo auxilia prauia physicè prædeterminantia voluntatem, vnum per simplicem immutationem Dei ante actionem voluntatis, aliud per actionem quandam iniciatiuam consensus. Hoc autem nullo modo admittendum est: nam licet daremus aliquam praedeterminationem physicam, superuacaneum esset duplicem fingere. Tum quia in eodem genere physico vnum tantum auxilium efficax ad singulos actus cum aliquo fundamento requiri potest: tum etiam quia hæc praedeterminatio dicatur supponere auxilium sufficiens quocumque modo talis praedeterminatio cogitur sufficiens auxilio peruenire, infallibiliter inducet consensum, alias non esset vera de-

H h 2

termi-

terminatio, ergo esto sit necessaria, vna sufficit. Declaratur denique ex re ipsa, quia si fingamus antecedere auxilium prædeterminans physicè & voluntatem in actu primo, & distinctum in re ipsa ab actu secundo, & ab omni actione humana voluntatis, per illud intelligitur voluntas perfecte completa in actu primo, & proxime expedita ad actum secundum; ergo iam non indiget alio auxilio præiuvio, sed tantum simultaneo concursu; ergo qui ponunt auxilium prædeterminans in actu primo superflue fingunt aliud auxilium prædeterminans in ipso actu secundo seu actione eius; item quia illa actio per habitudinem ad tale principium iam determinatum in actu primo prodit cum sufficienti determinatione, imo si verum fatendum sit supposita tali prædeterminatione proderet sine indifferentia, & sine libertate, ergo non solum non indiget noua prædeterminatione; sed etiam est incipax illius. Sicut supra lib. 3. cap. de agentibus naturalibus dicebamus non indigere præiuvio concursu propter prædeterminationem quia cum de se sint determinata ad vnum, & non habeant indifferentiam, non sunt capacia nouæ determinationis.

Aliud notandum, quod in supernaturali consensu duplicem ponit actionem: vnam initiatiuam, & aliam consummantiuam.

Secundò est in illa sententia notandum quod in supernaturali consensu duplicem ponit actionem voluntatis, siue re, siue formaliter, siue ratione distincta. Vnam vocat initiatiuam, & priorem quam sit ratio consensus, quia natura præuenit illum: aliam, quæ sit consummantiua consensus, & primam dicit esse auxilium præiuvium efficax, non verò secundam: itemque priorem, vt sic, non esse liberam, constitui autem liberam in ratione consensus in altero posteriori natura. Hæc verò distinctio, & quæ circa illam dicuntur reicienda omnino sunt. Nam si per illam duplicem actionem, ille author intelligat propriam actionem prædicamentalem, & terminum eius, qui est consensus, vel actus vitalis, prout est in re qualitas, quæ ab aliquibus vocatur grammaticalis actio. Sic nec dicere debuit, nec potuit priorem actionem initiatiuam esse in illo priori non liberam, quia hoc multum repugnat libertati arbitrij: nam usus libertatis maxime pendet ab illo puncto, in quo voluntas incipit suam actionem elicere. Item quia repugnat actionem prius natura non liberè elicitam posterius natura constitui liberam in eodem instanti, tum quia non possunt duo prædicata contradictoria de eodem verificari in eodem instanti temporis: tum etiam quia actio illa semper retinet eandem habitudinem ad suam potentiam, à qua habet quod libera, vel necessaria sit: tum denique quia non potest actio illa denominari libera à consensu, qui est terminus eius, quia potius consensus in tantum est liber, in quantum sit per actionem liberam, quia libertas exercetur in ipsa actuali efficientia per quam fit terminus. Si autem in consensu ipso præter terminum & qualitatem distinguatur duplex actio, quarum vna sit non libera, & altera libera, & falsum fundamentum supponit, & multum derogat libertati, vt facile ex dicendis patebit.

Punctum difficultatis distincte explicatur.

Supponuntur quædam puncta difficultatis distincte explicentur.

Igitur ne in aliorum placitis referendis prolixiores simus (solum enim illa proponimus vt modus doctrinæ consideretur) illis prætermisissis, vt punctum difficultatis explicetur, & intelligatur difficultatis ratio, suppono in primis in ipso actu secundo, seu consensu libero voluntatis tantum illa duo inesse, & distinguere posse quæ paulo antea diximus, scilicet fieri, & factum esse, seu actionem &

terminum, seu qualitatem, & dependentiam eius: hæc enim omnia æquivalentia sunt. Et quidem illa duo in re ipsa aliquo modo distinguere ex philosophia suppono, & nunc non controuertitur, nec ad præsentēs controuersias Theologicas multum refert, siue quis opinetur, illa duo in his actibus ratione tantum distinguere, siue ex natura rei, nam licet hoc posterius verius sit, tamen etiam permissum illo primo, doctrina de auxilio efficaci non variatur. Dixi autem tantum illa duo inueniri in libero consensu, quia ad rem explicandam maxime refert quod in consensu ipso neque plures qualitates, neque plures actiones, neque aliquid aliud genus entitatis, vel modi realis illius actus in eo inesse fingatur. Hoc postremum per se notum videtur, quia discurrendo per prædicamenta facile potest talis cogitatio refutari, & in re nullum habet fundamentum. Primum etiam est satis notum, & ab omnibus traditum quia vnus consensus si in prædicamento qualitatis est, vt supponitur, non est nisi vna simplex qualitas, sicut est vna simplex tendentia formalis in vnum tantum obiectum. Neque in libero consensu ordinis naturalis aliud inuenitur, nec in supernaturali est aliqua ratio multiplicandi illas qualitates, imo hæc supernaturalia concipere, & explicare debemus ad instar naturalium seruata indifferentia in dignitate, seu excellentia actus, quæ in vna simplici qualitate cerni debet. Vnde argumentari possumus quia si essent duæ qualitates, vel vtraque est ordinis naturalis, & sic ex vtraque simul non fiet vnus actus supernaturalis; vel vna est naturalis, & altera supernaturalis, & sic tota supernaturalitas est in vna, & altera frustra fingitur: vel vtraque est supernaturalis, & ita quilibet per se spectata est in suo genere perfecta, & sufficiens ad effectum formalem consentiendi, & tendendi completum tale obiectum: ergo vna sufficit & alia frustra fingeretur. Quis enim vnquam cogitauit voluntatem v.g. credendi inuoluerè duas qualitates, & idem est de similibus actibus simplicibus? Ita enim consideramus consensum in vnum simplex obiectum: nam si inuoluerat plura obiecta, poterunt esse plures actus, vt est probabile de intentione finis, vel electione medij etiam si eodem tempore fiant, & de amore Dei, deestatione peccati, & similibus, & tunc erunt etiam plures consensus, vnumquemque autem per se considerando in illo tantum potest esse vna qualitas, & ita nunc loquimur.

Vnde facile concluditur secundum membrum de actione quod in præsentibus maxime est necessarium, quia si quod gratia auxilium datur in ipso actu secundo voluntatis, illud maxime in actione ipsa considerandum est, tum quia qualitas ipsa, quæ est terminus actionis, potius est effectus auxilij, quam auxilium, tum etiam, quia tale auxilium requiritur ad iuvandum hominem ad agendum, homo autem primò, & immediate efficit ipsam actionem; ergo in illa, & ad illam debet maxime adiuuari. Hinc ergo aliqui ex modernis in hoc, & præcedenti cap. allegatis, vt declarent auxilium prædeterminans in ipso actu secundo distinguunt in illo duas actiones, quarum altera sit auxilium prædeterminans, & altera sit actio consentiendi, & illam dicunt esse priorem naturæ, & à solo Deo, hanc vero esse à libero arbitrio in posteriori naturæ.

Contra hoc ergo pro certo statuimus, in vno simplici consensu non esse nisi vnā actionem simplicem, & indiuisibilem. Et in hoc nobiscum sentiunt Cumel. & Aluar. & interdum Ledesma, nam aliter variè loquuntur. At hanc partem in lib. 1. & 3. tertij actus, & ideo nunc illa breuiter probatur. Quia ex parte termini illa actio habet vnitatem, nimirum vnā qualitatem tamquam intrinsecum terminum per illam actionem productum, & vnum obiectum tamquam extrin-

Corollaria ex precedenti doctrina.

extrinsecum terminum, quem mediante ipsa qualitate respicit, & ex parte principiorum non multiplicatur, ergo est tantum vna. Probatur minor, quia licet ad illum actum effectiue concurrant Deus, & voluntas, per suammet entitatem, vel etiam per habitum infusum, aut illam supernaturalem entitatem sibi inditam per modum principij & actus primi, nihilominus non prodeunt à singulis principijs istis singulae actiones, sed vna indiuisibilis ab omnibus; ergo etiam ex hac parte non multiplicatur. Probatur vltima propositio subsumpta, & primum de voluntate, quia voluntas, nihil potest agere sine Deo, & in supernaturalibus operibus nihil potest agere sine physico influxu actuali adiuuantis gratiae; ergo nulla actio ibi intercedere potest quae sit à sola voluntate, est ergo vna indiuisibilis à Deo, & ab ipsa, & à principio gratiae. Et hac ratione cum D. Thoma dixi citatis locis vnam esse indiuisibilem actionem à causa prima & secunda; quia nihil potest agere causa secunda sine immediato influxu causae primae, idem enim est cum proportionem in praesenti.

12. Probatur ex parte Dei non multiplicari actionem tendentem ad talem consensum. Primo quia illa vnica actio, cum iam sit à Deo, sufficit, nam per illam fit totius terminus, & in illa intime consistit essentialis dependentia, vel causa secunda à prima; vel voluntas à gratia, & à Deo vt auctore gratiae in actibus supernaturalibus, ac denique in illam salutem excellentiam, & eminentiam causae primae, & gratiae in suo genere, quia illa actio magis, ac principalius, essentialis est à Deo, & gratia, quam à voluntate; ergo superflue fingeretur alia actio solius Dei, vel solius gratiae. Praeterquam quod multa sunt quae repugnant; nam illa actio quae esset à solo Deo in voluntate, non posset esse vitalis; ergo non esset actus secundus voluntatis, nec haberet pro immediato termino qualitatem illam actualem, quae est consensus voluntatis, nam illa intrinsece est qualitas vitalis; & non nisi per actionem vitalem fit, saltem conaturaliter; quod nunc satis est, quia non sunt fingenda monstra, vel miracula perigrina in ordinario modo supernaturaliter operandi voluntatis, ergo si daretur talis actio Dei, non esset auxilium immediatum in ipso actu secundo, sed in aliam qualitatem, vel alium terminum; & ita esset auxilium praedeterminans in actu primo, non in secundo, quem nunc intelligamus. Item si aliqua ibi est actio solius Dei, erit natura prior, quia actio voluntatis, nam ad hoc ponitur vt sit causa actionis voluntatis, & faciat illam facere, quid ergo per illam fiet? Non enim fieri potest immediate altera actio quae sit à voluntate, tum quia ad actionem non est actio, tum etiam quia terminus actionis non est ab alio principio, quam ipsa actio, illa autem secunda est ab alio principio, vtique à voluntate: neque etiam ipse consensus vt est qualitas quadam potest immediate per illam fieri, tum quia, vt ostensum est, non fit sine influxu voluntatis: tum etiam, quia alias nihil nouum voluntas ageret, sed actum à Deo iterum ageret, & quasi conseruaret. Nam illa prima actio, quae à solo Deo esse dicitur, non potest esse partialis tantum, tum quia debet in suo ordine esse perfecta, & efficax, & à sufficienti potestate procedens, tum etiam quia alias non posset fieri etiam secundum ordinem naturae sine consortio alterius partialis actionis, & ita non esset praecia nec praedeterminans, ergo produceret prius totum terminum, & sic voluntas non eliceret, sed quasi reproduceret, & conseruaret consensum suum. Vnde etiam sequeretur illam non liberè, sed ex necessitate recipere, & haberet talem consensum, non est ergo in actu consensus talis actio, est ergo tantum vna.

Et. Suarez de Gratia Pars II.

13. Ex his nonnulla infero ad veram resolutionem quae sit necessaria. Primum est actionem illam per quam liber consensus supernaturalis, & vt supernaturalis primum, fit, ita elici à voluntate per proximum principium gratiae, illam adiuuantem cum concursu Dei tanquam primae causae in illo ordine, vt tota à singulis illis principijs tam in suo esse, quam in sua inchoatione vel qualicunque emanatione prodeat. Probatur, nam quod ab omnibus illis principijs simul effectiue oriatur, certissimum est à voluntate propter vitalitatem actus, & maxime propter libertatem, vt definit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 4. à principio physico gratuito seu supernaturali propter necessitatem gratiae physice adiuuantis, de qua supra lib. 3. dictum est: à Deo vt à prima causa propter essentialem dependentiam, & subordinationem voluntatis creatae ad diuinam. Quod vero sit ab omnibus, & singulis quoad totum suum esse, probatur, quia est indiuisibilis actio, & ideo non potest pars ab vno principio fieri, & pars ab alia, ergo tota à singulis. Item quia ille actus totus est supernaturalis, & gratiae, & totus est vitalis, & liber, & totus est creatus, quae rationes ita sunt inter se connexae, vt possint concurrere omnium illarum causarum; nihil ergo est in illo actu, quod fiat ab vno ex illis principijs sine consortio aliorum. Vnde tandem concluditur, quidquid in illa actione fit tanquam intrinsece inchoatio eius, debere ab omnibus illis principijs, & à singulis illorum fieri, quia inchoatio actionis non est aliquid ab ipsa actione distinctum, & quia ratio facta aequè in tali inchoatione, qualiscunque cogitetur, procedit.

14. Corollarium secundum. Secundo hinc inferitur actionem illam, quae sit consensus liber voluntatis, sub nullaratione esse prius naturae necessariam, quam liberam, neque in illa aliquid considerari posse prius non liberè factum, & postea liberè. Probatur primum quia illa actio quatenus non libera consideratur, vel est à solo Deo, vel est etiam à voluntate. Prior consideratio est omnino falsa, tum quia ostensum est, illum actionem non prius naturae fieri à Deo, quam à voluntate, tum etiam, quia alias si solus Deus semel illam infunderet, in illa recipienda voluntas non esset libera, at ex illa receptione necessitate plusquam physica (vt sic dicam) sequeretur consensus voluntatis siue formalis, siue etiam actiue, seu actio eius; ergo nullo modo talis consensus posset esse liber, vt à forti ostendi potest ex dictis capite. Praeterquam quod est contra rationem actus vitalis recipi prius naturae, quam eliciatur.

Si autem actio in illo signo est à voluntate non potest concipi vt non liberè, vel certe nunquam est libera. Probatur primum, quia illa actio est omnino indiuisibilis, tam in sua entitate, quam in modo, quod fit, quia in momento elicitur; ergo & secundum rem, & secundum omnem modum concipiendi semel tantum à voluntate elicitur; ergo vel elicitur necessario, vel liberè, & non potest secundum diuersas rationes, aut in diuersis naturae instantibus illis duobus modis elici: Secundo istae duae conditiones liberi, & necessarij adeo sunt repugnantes, vt non possint simul inesse eidem instanti respectu eiusdem potentiae, vel in eodem instanti naturae, vel in eodem temporis instanti, quia inuoluntè contradictionem. Tertio si in primo signo intelligitur illa actio, ex necessitate elicit à voluntate non habet, vnde fit magis, vel minus libera in eodem instanti temporis pro alio instanti naturae, quasi voluntas non elicit illam cum maiori iudicio rationis, nec cum maiori determinatione, aut auxilio efficaci ex parte gratiae in vno signo, quam in alio.

Hh 3

Præ-

Præterquam quod si in primo signo actio illa est necessaria necessitate opposita libertati, eadem necessitate sequitur duratio illius actionis pro secundo signo naturæ; ergo in illo etiam destruetur libertas, iuxta doctrinam datam in capite. Si vero in primo signo non est tanta necessitas, sed solius infallibilitatis, falsum est in illo signo actionem non esse liberam, nam eadem necessitas in secundo signo inuenitur; est ergo impossibilis illa doctrina. Accedit tandem quod illa signa naturæ in tali actione distingui non possunt præsertim respectu eiusdem voluntatis hominis, ut à fortiori patebit ex sequenti illatione.

15.
Corollarium
tertium.

Tertio infero, actionem illam non prius naturæ, & causalitate fieri ab vno ex illis principiis quam ab aliis, id est, à voluntate prius, quam à gratia, vel principio supernaturali physice adiuuante, vel è contrario, neque etiam prius à libero arbitrio ut causa secunda, quam à Deo, ut causa prima. Hanc assertionem docent nobiscum sapientissime citati Theologi, qui in asserenda physica prædeterminatione à nobis dissentiunt, licet aliis locis, ut nos impugnent, ab illa recedere videantur, ut in sequentibus videbimus. Tamen illatio est euidens ut in simili diximus in lib. 5. simultaneum concursum explicando, quia illa actio est vna, & indiuisibilis; ergo intra illam (ut sic dicam) non potest inueniri realis causalitas, quia idem non est causa sui ipsius; ergo non potest sub vna ratione esse prior, quam sub alia. Item illa actio essentialiter, vel intrinsece pendet ab illis omnibus principiis, & à singulis illorum; ergo non potest esse prius natura ab vno quam à cæteris.

16.
Reiciendus
loquens
dimodus.

Quapropter reiciendus est ille loquendi modus. Deum dare auxilium concomitans, non ut præcedamus in actum, sed ut adiuuet ad eliciendum actum in quem prodire caperamus. Ac si voluntas possit prodire in actum sine concursu concomitante Dei, vel possit inchoare actum prius naturæ, quam illum eliciat, vel quam Deus concursus inchoet, quæ sunt plane absurdæ. Nec minus falsum est, quod in alio loco idem Auctor dicit, consensum voluntatis ut exercitum non refundi in liberum arbitrium, etiam ut eleuatim per auxilium efficax. Nam si liberum arbitrium est vera causa efficiens illum consensum, iuxta doctrinam Concilij Tridentini sess. 6. can. 4. certe facit illum ut exercitum, quomodo ergo non refunditur in illud? Deinde idem Concilium in dicto, cap. 7. dicit gratiam vnicuique dari secundum propriam eius dispositionem, & cooperationem. Est autem dispositio per consensum; ergo sicut dispositio refunditur non solum in gratiam, sed etiam in cooperationem, ita & consensus. Item Augustinus lib. 83. quæstion. 68. non reprehendit illum, qui sibi tribuit quod venerit vocatus, cum tamen hoc sit refundere consensum in liberum arbitrium. Dices, verum est actum illum reduci in voluntatem, ut in causam, vel concausam proximam, vltimatè verò esse reducendum in auxilium efficax. Respondetur de hac resolutione in vltimam radicem postea dicendum esse, nam magis pertinet ad ordinem prædestinationis & intentionis quam executionis, & quatenus fieri potest in ordine executionis, sistit in vocatione, iuxta illud Augustini dicta quæst. 68. Si quis sibi tribuat quod venerit vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit, quæ vocatio est magis principium morale quam physicum. Vnde loquendo de efficacia physica consensus, & actionis consentiendi non potest resolui in solum auxilium, sed in voluntatem cum auxilio.

Questionis resolutio.

Ex his ergo videtur apertè concludi, nihil necessario inueniri in ipso actu consentiendi, quod sit auxilium efficax, quo voluntas physice prædeterminetur ad ipsummet consensum. Probat, quia talis prædeterminatio vel fit per ipsum actum secundum, ut intelligitur in termino, & in esse perfecte qualitatis, vel ut est actio in fieri ad illam qualitatem: neutro autem modo potest esse auxilium physice prædeterminans voluntatem; ergo non est tale auxilium. Primum membrum minoris manifestum est, tum quia consensus ipse (ut dicebam) sub illa ratione non est auxilium, sed est effectus intentus & comparatus per talia auxilia: tum etiam quia ille actus sic spectatus supponit voluntatem iam determinatam in actu secundo per ipsamet actionem per quam efficit talem consensum; ergo non potest ipse consensus prædeterminare voluntatem. Item quia prædeterminatio dicitur esse necessaria voluntati ad eliciendum consensum, quia non potest vel indeterminata agere, vel non habet vires, consensus autem ipse, iam supponit totam actionem voluntatis, & per se non dat vires ad agendum aliud, nedum seipsum; hæc ergo parèvidentissima est.

Altera de actione probatur primo ad hominem ex principio ab aliis posito, quod voluntas nihil potest agere non prædeterminata, inde enim optime inferitur, quod actio prædeterminans voluntatem non potest esse elicitā ab ipsa voluntate, quia aliter efficeret illam nondum prædeterminata, conditio enim necessaria ad agendum debet supponi actioni, saltem ordine naturæ, quod autem fit ab ipso principio efficiente, non supponitur ad actionem eius; ergo si prædeterminatio fieret à voluntate non supponeretur ad actionem voluntatis; ergo non esset conditio necessaria, ut voluntas ageret; ergo ageret voluntas nondum prædeterminata, quod est contra hypothesein. Quin potius, ut supra dicebā, est repugnantia in verbis, quod voluntas eliciat actionem, & quod actio illa sit prædeterminatio eius, quia in eodem signo, in quo illam elicit, spectatur ad illā potius quā ad aliam; ergo determinatur formaliter per illam actionem, nondum prius natura determinata, & effectiue determinat se non prædeterminata ab alio. At vero ostensum est vnicam actionem illam non fieri sine influxu ipsius voluntatis; ergo per illam non prædeterminat Deus voluntatem.

Respondendi solet illammet actionem non posse fieri à voluntate humana nisi influente diuina, & per illum influxum, ut est à Deo prædeterminari physice voluntatem humanam ut suum cursum adiungat, quia ille influxus Dei sine dubio est physicus, & est prior ordine naturæ, quia prima causa prius natura agit, quam secunda. Et hoc argumentum nos maxime premunt Cabrera, & Cumes, ut saltem hanc prædeterminationem physicam negare non possimus: & ut ex illa conuincant argumenta supra à nobis facta ad probandum physicam prædeterminationem in actu primo tollere libertatem non esse efficaciam, quia in hac prædeterminatione in actu secundo instantur. Verumtamen ratio est longe diuersa, nam in hoc auxilio nulla est propria prædeterminatio ex parte Dei, sed condeeterminatio ut sic dicam, nisi in verbo prædeterminandi sit æquiuocatio, quam sæpe aliàs declarauimus.

Primo enim cum voluntas se determinat ad consensum, id non facit sine physico influxu, & co- efficientia Dei siue cooperantis per gratiam aliam quam physice adiuuantem, siue concursum causæ primæ in illo ordine præstantem. Ille vero concursus non est præuius, sed simultaneus, & similiter

ille actualis influxus gratiæ adiuvantis simultaneus est iam tempore, quam natura, cum cooperatione ipsius liberi arbitrij, ut proxime ostensum est; ergo talis influxus, ut est à Deo non est prædeterminativus voluntatis, sed tantum cooperativus, in quo cunque signo temporis, vel naturæ consideretur. Nam auxilium prædeterminans ex vi illius particulæ præ dicit aliquam antecessorem saltem causalitatis, & naturæ ad propriam determinationem voluntatis, & in hoc sensu tractatur quæstio. Et ideo etiam ab aliis auctoribus distinguitur concursus simultaneus à prævio, seu prædeterminante.

Secundò prædeterminans auxiliū dicitur ab his auctoribus influxus in causam, & non proxime in effectum; ille autem influxus Dei imbibitur in actione, qua voluntas facit suum consensum, non est influxus in causam, sed in actionem, seu effectum causæ, quia intus imbibitur in ipsa actione; ergo ille non prædeterminat voluntatem. Instat vero Cumel, quia illa actio est in voluntate: ergo non potest ille influxus esse in effectum, quin sit etiam in causa. At hoc modo committitur æquivocatio, & nimis materialiter consideratur voluntas; duplicem enim habet actionem, & potentiam receptive eiusdem actionis in posteriori naturæ postquam facta est, seu iam fit. Influxus ergo in causam est ille, qui præcedit in causa prius naturæ, quam operetur, & in illa sit ut illam compleat, vel applicet ad agendum; at ille concursus vel influxus non ita recipitur in voluntate, sed solum tanquam in potentia passiva, quæ recipit ipsam actionem, in qua immediate ille influxus imbibitur. Sicut influxus quem præbet ipsa voluntas, etiam recipitur in ipsa, non formaliter, ut in causa agente, sed ut in materia seu subiecto talis actionis.

Tertiò idem declaratur, quia voluntas prius naturæ considerata, quam Deus illum influxum præbeat, est omnino indifferens, & indeterminata, quia natura sua talis est, & nondum intelligitur aliquid recepisse quo determinetur, sed ab illo statu immediate reducitur ad actionem, qua elicit suum actum secundum quam actionem simul cum Deo efficit; ergo non operatur, & elicit actionem ut prædeterminata, & consequenter non prædeterminatur per concursum, vel influxum imbibitum in eadem actione. Probatur consequentia quia inter illud signum naturæ, in quo præexistit indifferens, & aliud, in quo actionem iam elicit, non datur medius status, seu medium instans naturæ, in quo intelligatur prædeterminata à Deo per illum influxum; quia ostensum est inter illum influxum Dei, & influxum voluntatis, non esse ordinem naturæ nec causalitatis; ergo in hoc modo agendi, & secluso prævio influxu immediato in potentia ipsa voluntatis non esset necessaria vera & propria prædeterminatio.

Adde semper illa verba, *vera, & propria*, quæ etiam dici potest unioca prædeterminatio. Quia æquivocando in verbo prædeterminandi potest quis illam Dei actionem vocare prædeterminationem, quia per illam actionem voluntas fit determinata; Idedq; cum eandem actionem Deus faciat, potest etiam dici per illam determinare voluntatem, quamvis, non sine illa libere, & omnino simul cooperante. Unde videretur quia eadem actio principali, ac excellentiori, magisque independenti modo est à Deo, quam à voluntate, ideo ad hoc significandū potest illa determinatio à Deo dici prædeterminatio. Sed hoc dico tantum esse verbo ludere significationem eius mutando, per quod omnino à propria quæstione divertimur. Nam in illo usu verbi particulæ præ non significat ordinem causalitatis, neque indicat aliquod auxiliū efficax quo datur voluntati vires ad operandum, nec significat determinationem, quæ in voluntate fiat, ut operari valeat, sed significatur

solum excellentia, & maior perfectio influxus divini, seu illius actionis prout est à Deo, quam ut est ab hominis voluntate. In quo sensu nulla est quæstio de prædeterminatione, cum tota difficultas consistat in antecessione causalitatis, quæ dicitur auxiliū efficax facere, ut voluntas faciat efficienter, ac physice, & causaliter prædeterminando voluntatem ipsam.

Quod facile declaratur ostendendo rationem difficultatis longe disparem inter hoc auxiliū simultaneum, & prædeterminans causaliter, quam P. Cumel, & alij enixè, & frequenter postulant. Nā in hoc simultaneo influxu Dei cum voluntate ad eius primam determinationem influxus Dei non ponitur, nisi cum dependentia eiusdem numero actionis indivisibilis à libera cooperatione voluntatis, & ideo illa determinatio nunquam est suppositio antecedens causaliter liberum voluntatis vsum, sed illum potius intrinsecè includit, ideoque quantumvis ille influxus Dei propter suam excellentiam vocetur prædeterminatio, nunquā per particulā præ significatur suppositio antecedens necessitans voluntatem ad cooperandum, sed solum dicit ita esse simul, cum cooperatione voluntatis, ut cum illa dignior, & excellentior sit, de quo nemo dubitat. Altera verò prædeterminatio causalis inducet antecedentem necessitatem, quæ in dicto auxiliō simultaneo non invenitur, & ideo dicimus ex parte illius vel esse non posse, vel saltem non esse veram & propriam determinationem, de qua loquimur. Unde cum Ledesma, & alij supra citati dicunt Deum esse qui prædeterminat voluntatem, & nihilominus voluntatem in eodem signo naturæ efficere prædeterminationem suā, si loquantur de prædeterminatione æquivocè, & in hoc posteriori sensu vel fugiunt difficultatem, vel cerè solis verbis à nobis dissentiant, non in re. Ille tamen sensus non potest consistere cum multis aliis doctrinis, quas de hac prædeterminatione tradunt, nec cum distinctione auxiliij efficacis physice prædeterminantis ab auxiliō simultaneo. Si autem in sensu proprio, & visitato inter nos de prædeterminatione loquuntur, repugnat professio prædeterminationem fieri actiue à voluntate libere cooperante, cum ad hoc illi detur à Deo, ut ipsa suam primam actionem, ac primum influxum inchoare valeat, quia (ut ipsi supponunt) præexistens determinata id facere non potest. Ab lata ergo vera prædeterminatione, quæ per actionem præviam & solius Dei, & distinctam in re ab actione voluntatis fiat, nulla relinquitur prædeterminatio vera ex vi solius simultanei influxus, quem Deus ut prima causa, & auctor gratiæ habet in talem actionem voluntatis.

CAPUT XXIII.

Virum concursus simultaneus ut est à voluntate Dei semper ac necessario habeat vim prædeterminandi physice voluntatem.

PRiusequam fundamēto contrariæ sententiæ respondemus, oportet de alio sensu quæstionis dicere, quia possunt illius sententiæ auctores in hoc posteriori sensu suam opinionem interpretari, & discursum à nobis factum enervare, adhibita quadam distinctione, quam de prædeterminatione in actu primo supra retulimus, & hic potest apparenter ac commodari. Nam concursus, seu auxiliū Dei dupliciter spectari potest, primo secundum se, & secundum suam præcisam entitatem, secundo ut procedat à voluntate efficaci Dei, quæ vult hominē efficere talē consensum. Priori ergo modo verū est concurrere.

Hh 4

sum